HIERONYMUS
12. Jh. Seite 86v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26076
Copyright: Admont, Benediktinerstift



primus babyloniorum destruxit imperium occiso balthasar nepote na
buchodonosor qui euilmerodach filius fuit. Tantam autem scribit medorum
persarumque seuiciam ut ardore sanguinis effundendi aurum argentumque
contempnant et oblatas opes pro luto reputent. Sagittis paruulos
interficient et lactantibus uteri non miserebuntur et super filios non parcet
oculus eorum. Interficientur paruuli quorum uulnera erunt non minora
quam corpora et pregnantes uteri secabuntur elidentque infantes
et ad ubera pressos filios crudelis uictor occidet. Et erit baby
lon illa gloriosa in regnis inclita in superbia chaldeorum sicut sub
uertit dominus sodomam et gomorram non habitabitur usque in finem et non fun
dabitur usque ad generationem. Audiuimus medos. audiuimus baby
lonem audiuimus inclitam superbiam chaldeorum. Nolumus intellegere
quod fuit et querimus audire quod non fuit. Et hec dicimus non quod tropo
logicam intellegentiam condemnemus. sed quo spiritalis interpretatio sequi
debeat ordinem hystorie quam plerique ignorantes limphatico
III scripturis uagantur errore. Usque in presentem quoque diem prophetia babylo
nis expletur. Et sicut subuertit dominus sodomam et gomorram sic et ista sub
uersa non habitabitur in eternum. Illa enim seleuciam et thesifontem ur
bes persarum inclitas fecerunt. Nec ponet ibi tentoria arabs nec
pastores requiescent sed erunt ibi bestie et replebuntur domus eorum
draconibus et habitabunt ibi strutiones et pilosi saltabunt ibi
respondebuntque ululae in aedibus eius et sirenae in delubris uolup
tatis. In tantum babylon uastata erit atque deserta ut ne ad pascua
quidem armentorum et pecorum utilis sit. Non enim tendet ibi arabs sar
racenusque tentoria nec pastores post uestigia gregum fessi labore
quiescunt sed inter parietinas et angustias ueterum ruinarum
habitabunt. Sicut quod soli lxx bestias transtulerunt alii ipsos